

**05**

**A**

**1462**









Σὺν Θεῶ :

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,  
DE

# Communicatione

Proprii:

*Quam*

SUB PRÆSIDIO

*Plurimum Reverendi, Clarissimi, & Excellentissimi  
Viri,*

Dni. JOHANNIS SCHARFII


SS. Th. Licenciati, Logices & Metaph. in almâ  
Witteb.P.P. nec non Spectabilis p.t. Philos.Facult. DECANI;  
Præceptoris sui & Promotoris æternum venerandi,

*Publicæ disquisitioni subjicit*

THEODORUS Schambach / Stet. Pom.

*Ad diem 24. Martii, Anno 1636.*

*in auditorio Majore.*



WITTEBERGÆ,

Typis JOBI WILHELMI FINCELII,





COMMUNICATIONS



THEODORE CHARLES

1462/1 A 50

THEODORE CHARLES





## CUM DEO.

### Proœmium.

**A**met si nunquam in tantum convalescit nequitia; nunquam sic contra virtutes conjurabitur; ut non Philosophia nomen venerabile & sacrum maneat: pronunciantem Cicerone, felicissimo illo Platonis, Demosthenis, & Socratis effictore. 5. Tuscul. Non tamen cultores ejus omnes & singuli pariter censentur laude digni; non, quod omnes non deceat Philosophia, sed, quod tenerrima hac virgo à nonnullis in sinum receptis iniquè tractetur, quando sæpè formosissimorum membrorum intuitum & usum fastidientes, excrementorum amore flagrant, seseq; adeò conspurcant turpiter, ut cuivis obvius non immeritò sordere videantur. id est. Non pauci se Philosophi nomen mereri putant, quando de lanâ caprinâ, de questionibus nullius precii, rixosis, spinosis, inexplicabilibus, atq; supervacaneis subtiliter, (sat tamen futiliter) instituunt, disputant, cavillantur, omniq; sapientia bella movent. Clarum profectò tantùm habent nomen, cætera exsanguia sunt. Ita enim liberalium artium consecratio molestos, verbosos, intempestivos, sibi placentes facit, & ideò non discentes necessaria, quia supervacua didicerunt; de quâ stolidâ subtilitate consulatur Seneca Epist. 88. circa fin. qui multum mali facere nimiam subtilitatem, infestamq; veritati esse, exemplis egregiè apertum reddidit; imò eò consilii redactus est



*hâc hominum inaniter philosophantium temeritate, ut Ep.  
72. suum Lucilium ita commonefecerit. Erige te, Lucili, vi-  
rorum optime, & relinque ludum istum literarium Philoso-  
phorum, qui rem magnificentissimam ad syllabas vocant,  
qui animum, minuta dicendo, dimittunt & conterunt; sies  
similis illis, qui invenerunt ista, non qui docent, & id agunt,  
ut Philosophia potius difficilis, quam magna videatur. Lega-  
tur hâc de re quoque B. Meisn. Phil. Sobr. part. 1. sect. 1. c. 6,  
quest. 6. Ergo postquam disputationi publicæ questionem  
quandam Philosophicam subicere constitueramus; etiam ca-  
vere debuimus, ne ejusdem intemperantia accusaremur, si  
supervacua & utilitatem plane nullam præ se ferentia pro-  
poneremus. Controversiam igitur selegimus ut nobilissimam,  
ita quoque in Theologia usum benè magnum obtinentem; De  
Proprii scil. Communicatione: Quæ quantū excruciarit  
Philosophos non tantum, sed & Doctores Theologos, nemini  
non notum est. Hoc igitur ζήτημα, ἃς ὡς θέλωμεν, ἀλλ' ὡς δυ-  
νάμεθα, breviter examinabimus; non eum in finem, ut alio-  
rum nobilioribus scriptis lucem adderemus: (inconsulta hæc  
esset temeritas) sed ut in iisdem potius ingenium, repetendo,  
& breviarium quasi commentariorum fabricando, exercea-  
mus. Ad quam rem animum dedit illud prudentissimi Sene-  
cæ de vit. beat. c. 20. Generosa res est, inquit, respicientem  
non ad suas, sed ad naturæ suæ vires conari alta, tentare, &  
mente majora concipere, quam quæ etiam ingenti animo ad-  
ornatis effici possint. Quod si propitium DEUM habebit  
hoc ipsum exercitium, quem ideò calidis imploramus gemi-  
tibus, nulli dubitamus, quin æquanimitate debitâ boni, & li-  
terati viri, hæc omnia sint pensitaturi. Quod igitur DEUS  
ab alto felix esse jubeat: Sit*

T H E S I S



157  
**N**Equaquam præsens ζήτημα parvi pendendum, aut supervacuorum numero addendum esse, vel ex adversariorum patet ingenio, qui, cum in multis doctrinæ cœlestis capitibus à se invicem dissideant, Pontificii scil. & Calviniani, in hoc ipso tamen negotio vulpecularum instar Simsonianarum caudis invicem devincti nos, vel potius ipsam veritatem impugnare aggrediuntur.

2. Quando enim in loco de communicatione Idiomatum Christi nostris Theologis res est cum illis, negantibus realem divinorum Idiomatum communicationem carni Christi factam; nil crebrius audiunt adduci fundamenti loco, quam, quod propria non possint communicari; atque adeo cæco rationis ductu veritati cœlesti divinitusq; patefactæ dicam scribunt, & Philosophiæ, quæ tamen Hagar est, ancilla, Dominium in Heram suam attribuunt.

3. Faciunt hoc ex Pontificiis Bellarm. l. 3. de Christo cap. 20. Busæus cōtra Gerlachium, Gregorius de Valentia contra Heerbrandum &c. ex Calvinianis Beza in Colloq. Mompelg. p. 262. Danæus in Exam. contra Chemn. p. 294. Bucanus loc. 2. p. 6. Scharpius, Wendelinus & alii in locis suis Theologicis; atq; sic unanimiter tale cudunt argumentum. Propria non possunt communicari, sed Idiomata divina sunt λόγος maxime propria, E. Idiomata divina carni Christi non possunt communicari.

4. Infallibile igitur hoc ipsis est Philosophema. Proprium unius speciei, est incommunicabile alteri speciei realiter diversæ. Quod pronunciatum quoque,  
 ne



ne Theologia Calviniana periclitetur, Philosophi ipsorum suæ tutelæ commissum accipiunt, mirè sese torquentes, quo elumbem Theologorum illam majorem in suâ Philosophiâ specie veritatis vestire possint.

5. Hinc ipsi tam audacter proclamant: Axioma esse Logicum tam manifestum naturæ; ut illud: Bis quatuor esse octo: à nemine Philosophorum, ne iis quidem, qui ad multa paradoxa pronifuerint, usque ad hæc nostra tempora negatum esse, atq; hoc naturæ principium invictis rationibus stabiliri posse, ut Keckerm. glorizur Syst. Log. l. 1. c. 21. pag. mihi, 187, vid. idem. l. 2. c. 4. p. 345. Gocl. part. 2. misc. p. 165. 256. Keckerm. Gymn. Log. l. 2. p. 184. seqq. Timpl. l. 3. Met. c. 3. quæst. 13. & l. 4. c. 2. q. 7. Jacob. Schegkius ad lib. 8. Top. c. 3. &c.

6. Sed satis infeliciter illi gloriantur; quod bono cum Deo clarum perspicuumq; reddemus, 1. Terminos nostri thematis explicando, 2. communicationē proprii manifestissimis naturæ exemplis probando; quo videant Keckermanniani, non tam manifestū esse naturæ axioma illud Calviniano modo acceptum, quam illud; bis quatuor esse octo. Invictas rationes, quas superciliosè objiciunt, ex ipsâ terminorum expositione vel tacitè elumbes reddemus, proinde supersedere hæc operâ poterimus, ut certum refutandis argumentis adversariorum membrum attribuamus; præcipuè cum brevitati studentes, videndi avidos ad alios & illos quidem gravissimos authores ablegare habeamus, qui id satis prolixè sufficienterq; præstiterunt.

7. 1. Quidem, terminos quod spectat, de Proprio  
(quæ-



(quæstionis subjecto) notum est, à Porphyrio & Damasceno quatuor ejusdem modos constitui, Quod nimirum proprium competat. 1. μόνω sed non τῷ παντί. 2. τῷ παντί sed non τῷ μόνω. 3. τῷ παντί καὶ τῷ μόνω sed non ἀεί. 4. τῷ παντί καὶ τῷ μόνω καὶ ἀεί. Atqui hodiè Clarissimis quibusvis viris hæc ipsa divisio per omnia non arridet, unde commodiorem pronunciant illam, quâ propriū aliud dicitur esse πρὸς ἕτερον; ut Homo bipes respectu quadrupedum: (Keckermannus hic dicit, frigidissimi cerebri esse, proprium hominis respectu brutorum esse. Syst. Log. lib. I. p. 191. Videatur autem contra subtilis. Scaliger Exerc. 248.) Aliud ποτὲ aliquando, vel nō semper; ut sunt actus secundi & operationes separabiles, risus, fletus &c: aliud ἀπλῶς sive κατ' αὐτὸ καὶ ἀεί: aliàs dicitur ἐπισιῶδες, sive ἀναγκαῖον, sive ἀνίσροφον: ut sunt potentia naturalis, loquendi, flendi, ridendi &c.

8. Keckerm. loco cit. & alii hanc eandem divisionem ita exprimunt. Proprium est vel absolutum, vel respectivum: hoc idem est, quod πρὸς ἕτερον; illud iterū est vel perfectum, vel imperfectum: Huic proprium ποτὲ competit, aliàs actuale dicitur; illi verò κατ' αὐτὸ καὶ ἀεί, & potentiale appellatur, Græc. ἰδιαίτατον, καὶ κυριώτατον ἴδιον. ἴδιον πάθῃ.

9. Atque hoc proprium κυριώτατον, quod communi propriè contradistinguitur, definitur, quod per se & necessariò insit subjecto suo, idq; per se denominet. Ut habet Cl. & Pl. Rev. Dno Præses. Aliter definiunt Ar. Porph. Melancht. &c. qui videantur suis locis.

10. Theologis in rebus divinis proprium interdum aliter sonat. Nimirum cū apud Philosophos propriū sit ἐπισιῶδες, i.e. fluat ab Essentiâ, adeoq; naturâ eadem sit  
 poste-



posterius; at vero Dei attributa, vel idiomata, vel propria (imperiti quidam Calvinisequæ communicationem quidem idiomatum frequenter in ore habent, latè tamen admodum impugnant communicationem proprietatum; quasi vero proprietas & Idioma non sint Synonyma) non sint diversum quid ab Essentiâ eius, vel accidentia, (quanquam hoc nomine, cautè tamen utatur Cyrillus I, II. Thesauri) sed intelligendus sit Deus sine qualitate bonus, sine quantitatè magnus, sine indigentia creator, sine situ præsidens, sine habitu omnia continens, sine loco ubiq; totus, sine tempore sempiternus, sine ullâ sui mutatione mutabilia omnia faciens. August. l. 5. de Trin. c. 2. concluderunt, propria Dei habere realem identitatem cum Essentiâ Dei, atq; nihil esse in Deo, quod non sit Deus; atq; tum propria non posse esse ἐπισιωδες vel Essentiâ posteriora; Deum subjectum esse, κατηγορίας sive prædicationis, non verò ὑπάρξεως sive inhætionis. Logicè proprium synonymos non judicatur sed paronymos (cōtra Porph. Isag. c. 10.) Theologicè verò in divinis contra. Aliam divisionem nominis proprii in Deo videas apud Arm. de Bello Visu. Tract. 3. c. 7. de quâ judicare Theologorum est.

11. Hactenus subjectum propositionis; jam in prædicato videndum, quid commune? quid communicatio? quid unio? & quotupliciter accipiantur. Et quamvis non omnes strictiores huc spectent terminorum explicationes, exercitii tamen & melioris cognitionis ergò in illis operam sumemus.

12. Commune dicitur respectu proprii diverso modo. Nam apud Logicos in doctrinâ prædicabilium vocatur accidens, quod potest abesse vel adesse citra subjecti



16.

jecti detrimentum, sive corruptionem Porph. c. 5. atq; adeò non tantum proprio quod communiter quarti modi vocant, sed & reliquis nonnihil opponi potest modis. Aliter vero strictissimè proprio uni soli semper competenti commune contradistinguitur apud Metaphysicos, quod pluribus convenit æqualiter, ita ut huic subjecto non magis primò insit, quam illi; ubi perinde est, sive possit abesse vel adesse tale commune citra subjecti interitum, sive non. Nam Genericæ proprietates speciebus æqualiter communia fiunt; & tamen separari ab illis naturaliter salvo subjecto nequeunt. v. c. Visiva potentia non minus ab homine separabilis ac à bruto, sive simpliciter animali; nec magis homini cõpetit, quam bruto: Proinde Logicum commune vocatur Accidens, Metaphysicum vero Adjecti nomine denotatur; Quamvis omne id quod accidēs est commune, adjunctum quoq; sit commune, sed non vice versâ. Tandem Commune ex usu quoq; dici consuevit quod per communicationem ita factum est, & uni primò, alteri secundariò tantum competit: Ubi quot modis quid dicitur communicari, tot quoq; modis commune dici amat.

13. Communicatio alia est Verbalis, alia Realis. Verbalis vel tropo est affecta; vel talis est κατ' ἀξίαν, Honorifica; vel falsa. Quando nimirum res ipsa sive proprium quod per nomen rei diversæ impositum significatur, ei, cui imponitur, minimè convenit. Sic Tropicè dico: Herodes est vulpes. Honorificè: mulierē, quæ Doctori nupsit, Doctoriſſam appello. Falsò, Papā Sponsam dico Ecclesię esse, vel Calvinianos qua tales Orthodoxos pronuncio. Nominatenus tantummodo fit communicatio: Nam nemini horum res ipsa competit.

B

14. Rea-



14. Realis est, quâ id, quod de altero prædicatur, secundum rem quoque eidem inest. Quod vult Axioma: Dicitur de aliquo requirit inesse: sive ly inesse sit Essentiale, sive fiat per inhærentiam, sive alio quocunq; modo; Hoc interim negari non potest, cum sibi invicem diametraliter opponantur Verbalis & Realis communicatio, non posse non realem communicationem sine tropo veram esse.

15. Judicatur autem Communicatio Realis ex ipsâ reali unione, juxta notissimam: Qualis est unio, talis est communicatio. Unionem vero dari triplicem constat. 1. Subjecti cum accidente E. g. Homo, doctrina. 2. Accidentis cum accidente in uno subjecto. E. g. probitas, doctrina, in Homine. 3. Subjecti cum subjecto, sive solâ differente ratione, sive realiter atq; specificè diverso. Totidem igitur modis communicatio dici consuevit.

16. Communicatio quæ fit inter subjecta solâ ratione differentia dicitur philosophis *κοινωνία κατὰ μέτεξιν*, participatio Essentialis, quâ plura ejusdem rei, & nomen, & naturam & definitionem sortiuntur; quam Essentiæ participationem priorum etiam sequitur communicatio, cum, quicquid Generi competit, tanquam *πρῶτω ὑποκειμένῳ* idem quoq; per communicationem & *δευτέρως* speciei competat, ratione Generis; & quod de specie prædicatur, ratione participationis de individuo dici possit. E. g. Quod Aristoteles, Plato, Socrates &c. eodem nomine, eademq; naturâ & definitione Hominis, animalis, &c. constat, fit per *κοινωνίαν κατὰ μέτεξιν*. Vid. Pl. Rev. Dng. D. Martini de comm. prop. c. 5. Referre huc licet 1. *κοινωνίαν κατὰ συνειδοχὴν*, quæ intercedit inter partem & totum: ut, quando Lu-

scitio



16  
fcitio vultui ascribitur, quæ tamen oculis primò com-  
petit. 2. κοινωνίαν κατὰ σύγχυσιν, quâ proprium rei cum  
aliâ confusæ & permixtæ, ὡς ὑποκειμένῳ πρώτῳ inhaerens  
per communicationem & δευτέρως competit tertio,  
quod è confusione duarum pluriumve rerum emer-  
git, & totum confusi seu mixti vocatur. E. g. in Hydro-  
melite, dulcedo est δευτέρως, eò quod melle partem con-  
stet, cui primò inesse palam est. Ita lapis gravis dicitur  
esse κατὰ μίξιν; non quod lapis quâ lapis sit gravis, sed  
quatenus è multâ terrâ constat.

17. Quæ vero communicatio fit inter subjecta di-  
versa, fit inter ea vel disjuncta sive ἀσυνδύαστα, vel unita  
& conjuncta, sive συνδεδυασμένα. Prioris generis com-  
municationis tres sunt species 1. κατὰ μετέβασιν secun-  
dum transgressionem, 2. κατὰ ἀλλοπαίωσιν secundum  
similis rei vel qualitatis productionem 3. κατὰ χρῆσιν se-  
cundum usum. Communicatio vero subjectorum  
unitorum est, quando diversæ substantiæ, sive subjecta  
diversæ speciei se mutuâ quâdam περιχωρήσει & intimâ  
pervasione sive circūinceptione (ut Græcum vocabu-  
lum vertit P. Galatinus l. 3. de Arc. Cathol. ver. c. 2.)  
penitus amplectuntur, ut ea quæ sese permeant, per-  
meando invicem communicent.

18. Hæc communicationis species κατὰ συνδύασιν  
græcè, & à Cl. Dno. Schrödero καθ' ἑνωσιν appellatur,  
nam ille sæpe communicationem, κατὰ μέτεξιν & καθ'  
ἑνωσιν sibi invicem opponit. th. 88. & alibi: Quamvis  
Cl. Dno D. Jacobus Martini faciat ἐνώσεως tāquam Ge-  
neris hæc species, μέτεξιν scil. & συνδύασιν. Quod obser-  
vandum.

19. Non hic solliciti erimus cum Calvinisequis, an  
distinctio inter communicationem κατὰ μέτεξιν, & κατὰ



συνδύασι themati nostro inserviat, nec ne? Pueriliter, contendunt illi, & præter omnem necessitatem huc afferri distinctionem illam, cum μέτεξις licet aliàs nomine communicationis veniat, tamen vocem communicationis sive κοινωρίας non reddat ambigam, eò quod ipsum problema determinate de priorum non autem Essentiæ communicatione agat; ac proinde distinctioni communicationis non sit immiscenda. Præterquam enim quod necessitatem distinctionis ipsa Calvinianorum inscitia nobis imponit, ut demonstratum à Dn. D. Jac. Mart. c. 7. nos tantum præcipuas κοινωρίας species recensere amamus, cæterum hypotheseos consideratione adhuc supersedentes.

20. Definitur autem illa κατὰ συνδύασι κοινωρία à Cl. Scρόdero, quod talis sit, quâ propter unionem, id, quod unius est proprium, sine sui vel multiplicatione, vel transfusione, subjecto alteri ad communem possessionem, usurpationem & denominationem realiter confertur, th. 62.

21. Theologi tandem communicationem docent ὑπὲρ πηκλώ Quintuplicem, 1. ἰσιώδην. 2. πνευματικῶν. 3. μυσικῆν. 4. συμβολικῆν. 5. ὑποστατικῆν. Quarum omnium explicationem vide apud Gerhardum Exeg. l. 4. de perf. Christi c. 10. § 174, nos intra limites præfinitos manebimus.

22. Hucusque igitur de terminis; quibus multum quidem immorati fuimus, non tamen adeò prolixè, ut non aliorum authorum uberiores commentarios eosq; perspicuos, quos terminis explicandis addixerunt, summariè recensuisse videamur, quamvis obscure; Nam brevitatis obscuritatem pedissequam semper habet.



16  
habet. Interim rectè Phil. priorum Anal. l. c. 33. sæpe numero, inquit, errare ac falli ex eo solemus, quod fines ii non rectè explicantur, qui in pronunciatis adhibentur. c. 35. Nec verò in omnibus conandum est, ut extrema unâ dictione explicentur, quippe cum in multis ipsæ orationes sint, in quibus nomen unum positum non est. Vult Summus ille Philos. terminorum multitudinem multas paginas ad dexteram explicationem requirere, quam ob id negligere dedecet; quod errori aliàs lata pateat via, cui statim in principio occurrere tutius erit.

23. Ut jam quæstionis nostræ status controversiæ rite formetur & intelligatur, notentur in primis hæc quatuor theoremata. 1. Proprium non potest alicujus rei dici, nisi insit vel ἐπισημῶδες & inhæsiuè, vel ἑσιῶδες per prædicationem synonymicam. Quod v. posterius cautè adjicimus, non id fit tantum intuitu divinorum Idiomatum, quæ sunt ipse DEUS, sed quia de rebus creatis id quoque dici posse videmus. Qua de re Cl. Dn. D. Jacobi Martini verba audiamus. Si rem rectâ, inquit, pensitemus lance, id ipsum quoque de rebus creatis verum est; ut, non tantum propriū hominis est, quod τὸ δε ἐν τῷδε significet, ut esse γιλασικόν; sed ista quoque quibus τὸ ἑσιῶδη significantur; ut præditum esse animâ rationali: constare corpore, & animâ immortalis: sic in subseqq. modis, esse corporeum, esse bipedem, habere pedes & manus, carnem & ossa &c. Unde simul efficitur; hic per subjectum intelligi, non (ut vulgus logicorum statuit) subjectum inhæsiuè, Damasceno ὑποκειμένον πρὸς ὑπαρξιν dictum. c. 16. dial. Sed prædicationis, Damasceno ibidem ὑποκειμένον πρὸς κα-



πρῶτον appellatum. Nempè generaliter accipi, pro omni illo, de quo aliquid sive sit ἰσιώδες, sive ἐπισιώδες denominativè prædicari potest. &c. Hactenq̄ verba Cl. Dni. D. Martini ex lib. de Comm. prop. c. 2. Et res patet: Cuicunque enim proprius Character, quo proprium indigitatur convenit, eidem quoque definitum, sive nomen proprii competere sequitur: Sed proprii Character (qui est μόνως) competit etiam rebus creatis ἰσιώδως ἢ πρῶτως subjectum suum afficientibus. E. Major declaratione opus non habet; Quod enim alicui inest μόνως, id eâ ratione, quâ ei inest μόνως, est proprium ejus.

24. Ad minimum verò quod alicujus rei proprium dici meretur inhæsiivè subjecto, & per se inesse debet (ubi inhæsiionem propriè sic dictam, non verò analogicam, aliàs adhærentiam vel adhæsiionem, intellectam volumus) cum immediatè fluat ab Essentiâ, & cum subjecto reciprocetur; ut Ar. vult, 1. Top. c. 5. §. 5. ἴδιον ἐστὶ, inquit, ὁ μόνω ὑπάρχει, καὶ ἀντικατηγορεῖται τῶν πραγμάτων. i. e. proprium est, quod soli convenit, & cum re reciprocatur. Unde jam resultat alterum Theorema.

25. II. Proprium quando communicatur, non statim fit nec fieri potest alterius proprium. Ratio hæc est; quia etiamsi propter subjectorum arctissimam combinationem unum subjectorum utatur alterius proprio, idemq; possideat, quasi suum esse, adeoq; ab eo denominetur paronymicè, tamen non per se & inhæsiivè; id quod unius proprium est, alteri inesse potest. Impossibile enim est, unius Essentiæ proprium ex diversis subjectis propullulare, ita ut de utroq; æquè primò, ac



16

mō, ac per se dicatur: Unde tritissimus canon inviolabilis manet: Proprium unius non potest communicari alicui alii, scilicet: ut idem sit proprium alterius subiecti, Sic enim commune fieret: secus communicari benè potest salvâ proprii naturâ.

26. III. Quando proprium dicimus fieri commune; non t̄ commune acceptamus, pro eo, quod diametraliter proprio opponitur, idemq; tollit; sed quod eidem subordinatur. Scilicet, è diametro commune opponitur proprio; quando commune esse idem est, quod utriq; subiecto æq; primò & per se inesse. ut Potentia videndi homini & bruto æqualiter est communis. Subordinari v. dicitur commune proprio, quando communitatis diversus est modus, ut scilicet, cuius quid est proprium in fit per se καὶ πρώτως, alteri per accidens; καὶ δευτέρως. Sic, potentia videndi, animæ dicitur & corpori communis, sed inæqualiter, & diversimodè. Anima enim est πρῶτον δεκτικόν, corpus vero non item. Anima est subiectum inhæſionis, corpus verò animatum est subiectum operationis.

27. IV. Communicatio proprii non modo non tollit proprii naturam, (quod ex præcedentibus patet) sed etiam ex ipsâ naturâ demonstrari potest; Loquendo nimirum de communicatione, non verbali, sed reali, non κατὰ μέτεξιν, sed κατ' ἐνωσιν, sive συνδύασιν.

28. Atque hoc est præcipuè quod Calviniana philosophia capere nequit: Unde vociferantur omnes: detur Exemplum, detur Exemplum. Dederunt autem sat idonea exempla; Clar. atq; Pl. Rev. Dn. D. Jacobus Martini in peculiari hac de re libro sæpius citato c. 10, u. & c. Cl. Schröderus, Havenreut. in Theorem. Regius.

in



in probl. Log. de accidente. D. Meisnerus Phil. Sobr. part. 1. sect. 1. qu. 2. Cl. Dn. D. Cramerus in org. de prædic. D. Menz. contra Martin. p. 290. 366. 552. Quorum operâ cum utiliceat; nos brevitatis ergò contenti erimus duobus, in Theologicis crebro occurrentibus, argumentis & exemplis, benevolum lectorem sciendi avidum ad prædictos gravissimos authores remittentes. Primum igitur erit exemplum, de animæ & corporis; alterum de ferri & ignis communicatione.

29. Videmus sanè Patres & præstantissimos quosq; Theologorum non rarò comparationem quandam instituere, inter Christi unitas invicem naturas, & corporis cum animâ conjunctionem; non quod per omnia respondeat simile, sed quod similitudo magna, elegans, & ad rem, intellectu difficilem, cognitu vero necessariam, explicandam percommoda & nobis familiarissima sit.

30. Sic sæpius ferrum ignitum adducunt similitudinis ergo, ad declarandum mysterium unionis hypostaticæ duarum naturarum in Christo quâ de re videatur Cl. Schröderus thes. 173. ad usq; 178. & 373. usq; ad 379. Ubi videre est quantum hæc duo exempla habeant usum in Theologiâ.

31. Cùm ergò Calviniani antapodosin negantes, protasin quoque rejiciant in multis, errore scil. errorem trudente, hæc duo similia præ cæteris tueri breviter lubet. Primum ergò demonstrabimus cùm Deo, quod in homine anima suas proprietates, præcipuè & in specie vitam corpori καὶ ἐνωσιν realiter communicet, adeoq; quoddam proprium unius subjecti alteri subjecto per naturam diverso καὶ ἐνωσιν realiter communicari. Id quod erat probandum.

32. Ad



167  
32. Ad declarandam igitur thesin; dico: 1. Anima est substantia à corporis Essentiâ diversissima. Etenim, si anima est res è nihilo primitus creata, immaterialis, compositionis expers, incorruptibilis, immortalis spiritus, invisibilis &c. Quomodo, per DEUM! id quod spiritui opponitur, quod mediatè è limo terræ conditum, quod ἐνυλον, quod ex Elementis compositum, quod corruptibile est, & mortalitati, sive corruptioni obnoxium, quodq; præterea cum animâ totum quidem, sed ab eadem, tanquam pars, separabile, quod in sensus venit externos, res potest ejusdem cum animâ dici essentiæ? Neminem antagonistarum fido, tam monstruosum alere errorem, ut hoc statuatur, quamvis in fingendis absurditatibus alias satis sint felices.

33. Augustinus sanè, non immeritò; plenum, dixit, fuisse miraculo, quod tam diversa, & tam divisa ab invicem, ad invicem potuerint conjungi. l. de spir. & anim. Idem ibid. Si tam disparem, inquit, naturam carnis & animæ ad unam foederationem atque amicitiam DEUS conjungere potuit; nequaquam erit impossibile, rationalem spiritum, qui usque ad consortium terreni corporis humiliatus est, cum eodem corpore glorificato, ut sit ei gloriæ, quod fuit ei sarcinæ, ad consortium beatorum spirituum, qui in suâ puritate perstiterunt, exaltare.

34. 2. dico. Vita quæ est in homine, est proprium animæ. Valeat hoc exemplum de vitâ, loco omnium proprietatum. At verò, observandum hic est, non uno modo vitam apud philosophos acceptari: Nam, 1. Sumitur accidentaliter (ut Fonseca vocat) pro vitâ actus secundi; quæ nihil aliud est, nisi motus, & operatio vi-  
C talis,



21  
talis, quæ in calido & humido tanquam vehiculo per-  
ficitur; atque talis vita nostrum pronunciatum mini-  
mè tangit, cum æquivocè tantum modo, nec satis pro-  
propriè vita dicatur; eò quod est actio à potentiâ vitali  
promanans, nec est in animâ, sed ab eâdem profici-  
scitur; Unde sæpius à phil. definitur, quod sit nutritio,  
augmentatio, & ejusmodi aliæ actiones, &c. l. 2. de a-  
nimâ. text. 2.

34. 2. Sumitur Essentialiter, propriè, & in actu  
primo, pro ipso animæ actu sive facultate, atquè tum  
nihil est aliud, quam principium motus & operatio-  
nis vitalis; quæ à Scheiblero, Philosopho vel ob per-  
spicuitatem magno, vitalitas dicitur. l. 2. Metaph. c. 4.  
§. 117. vide sis. Thom. p. 1. quæst. 18. art. 2.

35. Hoc loco nos laudamus, & acceptamus vitam  
Essentialiter sumptam, quæ non est actio, sed actus, (ut  
Scal. loquitur) & forma substantialis, quâ constitui-  
tur corpus vivum in prædicamento substantiæ. Unde  
Philosophus l. 2. de animâ text. 36. vivere, inquit, vi-  
ventibus est Esse. Vid. Scal. Exerc. 102. sect. 5. & Ar-  
mand. de Bello visu. tract. 2. c. 52.

36. Hinc ortum traxit diversitas definitionum,  
quam animæ attribui hinc inde videmus. Erit autem  
perquam facile, difficultates, ex illâ diversitate prove-  
nientes, evitare, si duas definitionum classes consti-  
tuerimus; quarum prior vitam velut continuationem  
Essentiæ delineat; altera verò peculiarem hominis a-  
ctum describit. In priori classe tales videas defini-  
tiones, quod vita sit unio permanens animæ & cor-  
poris; Scal. Exerc. 102. sect. 5. perpetua Generatio  
Exerc. 31. *μονὴ θεπληκῆς ψυχῆς σὺν τῷ θερμῶ.* Arist. l. de Resp.



161  
c. 18. ἐπιτέλεια vel continuata q. & perennis motio;  
item. Perpetua anima in corpore agitatio (Zanchius  
& alii) item conservatio instrumentorum quibus ani-  
ma utitur in corpore. Ludovicus vives; Quam ta-  
men ultimam definitionem Scaliger perstringit.  
l. c. Non enim esse melius esse, ut vivat, quam non

37. Hoc modo, cum quaeritur apud Calvinianos,  
quid sit, & unde oriatur vita? respondent; ex animæ  
cum corpore unione, per contemperationem calidi  
& humidum; sive consistere illam in proportione humi-  
di radicalis, quod aliàs dicitur, insitum primigenium,  
innatum fixum: & calidi insiti, quod aliàs dicitur im-  
plantatum & fixum. Alsted. in Encycl. part. 1. phys. c. 1.  
esse permansionem & conservationem caloris vitalis,  
&c. Ecce egregiam, præter alia incongrua, confusio-  
nem causæ & effectus, signi & signati, vid. Meisn. B. M.  
sect. 1. quæst. 2. Memb. 2.

38. Ad posteriorem classem definitionum refe-  
runtur omnes illæ, quæ vitam ut peculiarem viventis  
actum, sive primus ille sit, sive secundus, considerant.  
Atque si de actu primo loquamur, nihil aliud est vita  
nisi facultas animæ vitaliter operandi. Si verò facul-  
tas est animæ, sequitur eandem quoque proprium esse  
ipsius animæ: quomodo enim simul sit facultas & a-  
nimæ & corporis, hætenus videre non licuit; præ-  
sertim cum corpus secedente animâ vivere desinat  
nec facultatem vivendi habeat. Esse autem vitam  
propriè sic appellatam facultatem animæ, vel inde li-  
quet, quod vita accidentaria, quæ est operatio vitæ,  
ut intelligere, sentire, moveri, nutriri, generare. Ar.  
l. 2. de animâ: quam vitam actus secundi vocitamus,



fit in prædicamento actionis. Jam quæro; quomodo vivere sit viventium esse? juxta Ar. cum actio rei substantiali non possit esse dare, sed semper præsupponatur facultas, sive principium actionis immediatum. Sanè ἀφιλόσοφον esset contendere, hanc propositionem: Homo est vivens; accidentalem esse, non Essentialem & substantialem; nisi quis vellet diversam differentia specificæ, à sui generis prædicamento, tribuere Categoriæ; qualis absurdaster hæctenus à sole nō est visus. Concludo ergò vitam, cum non sit, nisi facultas animæ vitaliter operandi, non posse non esse proprium ipsius animæ.

39. Quinimò, si rem paulò attentius perpendere velimus; vita non nisi ipsa erit anima, vixq; per facultatem animæ poterit definiri. Nam omnis facultas (cum B. Meisnero loquor, ex sect. 3. Phil. Sobr. c. 6, q. 4.) ex suo peculiari actu cognoscitur; hic enim in δυνάμειως notitiam nos deducit. Quod si peculiarem ab animâ facultatem vitalem profluere, eamq; à reliquis facultatibus distinctam censemus; quem, quæso, actum; quam operationem illi facultati assignabis? vivere, inquires: Sed nimis hoc generale est: explicetur in specie, qualis operatio sit vita? in quo consistat? quod ejus objectum? &c. sicut in aliarum facultatum ἐνεργήμασι demonstrari hoc potest. Verùm tale nihil indicare queunt: Unde concludo, vitam non esse quandam peculiarem animæ facultatem, sed ipsam potius animam; quæ cum una sit, in uno vivente, quæ vita duplicari possit. Hæc B. Meisn.

40. 3. Dico. Anima vitam realiter communicat corpori, quamdiu essentialiter ipsi est unita, ita tamen



169

men, ut anima maneat *πρῶτον δεκτικόν*, tanquam proprii sui; corpus verò sit *δέυτερον ὑποκειμένον*, atque vita accidentaliter insit in eo quoad possessionem, usurpationem & denominationem. Si enim corpus realiter vivit, (quod nemo negat nisi realiter insaniens) nec tamen vita ipsi est propria, sequitur realiter animam suam corpori vitam communicare, non autem ut corpori sit proprium, siquidem unius proprium alterius fieri & esse proprium citra contradictionem non potest. Hoc est quod inviti audiunt Adversarii, quodq, infringere tam anxie laborant, ut ne illos quidem crassiores errores, quos vel sensibus externis percipere liceat, pro obtinendo suo philosophemate, effingere, atque perfrictâ fronte ipsi veritatis soli opponere pudeat. Ne errare videantur, errare impudentius pergunt: qui enim semel verecundiæ fines transgressus fuerit, eum oportet gnaviter impudentem esse.

41. Quando enim ex præcedentibus per se fluit theorema ultimò loco datum, quod vita animæ communicetur corpori humano, cum præsertim etiam corpus humanum separata animâ non amplius sit vivum, atque ita facultas videndi, quæ est in corpore humano non insit per *ἑστίαν* & per se, (aliàs enim viveret etiam destructâ, quam cum animâ habuit, unione) sed per *κοινωνίαν*, & per aliud: fluit scil. ab ipsâ animâ, cujus proprium est vita: Audacter illi inferunt; duplicem esse in animato corpore vitam, aliam animæ, aliam corpori propriam; illam incorruptibilem, hanc verò temporaneam & corruptibilem. Gocl. Advers. quæst. 68, & Miscell. p. 1. pag. 63.



42. Verum enimverò, quam inane sit hoc effu-  
gium vel cæcus videt, vel puer intelligit. Ita argu-  
mentor. Si corpus habet propriam vitam distin-  
ctam ab animæ vitâ, aut habet illam κατ' αὐτὸ, aut per  
productionem ab animâ factam. Si prius affirma-  
bunt (quod tamen subtiliores non faciunt) dicant  
mihi 1. Cur non omnia corpora vivant? quod enim  
corpori quâ corpori κατ' αὐτὸ convenit, id omni con-  
venire necessum est. 2. Quomodo vita à solâ animâ  
dependeat? cum anima non sit de Essentiâ corpo-  
ris (non loquor jam de corpore animato, sed dun-  
taxat de corpore quâ tali) ut supra demonstratum  
est. 3. Unde oriretur vita illa, præterquam ex formâ  
elementari, sive mixtionis? quod affirmare ἀτόπον est.  
4. quomodo conciliabunt motus vitæ & corporis  
contrarios, v. c. ascensionem, quæ vitæ est, & de-  
scensionem, quæ corporis, ob gravitatem, est? cum  
tamen nunquam unius rei propria se invicem tol-  
lant & oppugnent. 5. Quomodo fiat, ut corpus sece-  
dente animâ proprium suum perdat? Reliqua argu-  
menta mitto.

43. Sin' posterius verum est, scil. vitam ab animâ  
in corpore produci 1. quis non videt animam quo-  
que producendam fore in corpore ab animâ illâ  
producente diversam? si quidem vita immediatè fluit  
ab animâ, tanquam facultas ejus, imò ipsa est anima  
ut supra visum est. 2. Hoc modo unius corporis na-  
turalis organici, potentiâ vitam habentis, ad mini-  
mum duæ essent formæ Essentiales specificæ, sive ἐντε-  
λέχειαί. Una anima, altera vita in corpore producta.  
At si hoc verum est, sequitur nullum Calviniano-  
rum



Ua

rum Ens esse, cum quod non unum est Entis nomine non veniat; quod verò diversas habet specificas formas, unum hæctenus dici sanâ ratione nequiverit. 3. Proinde dabitur in omnibus potentiis dualis numerus. Duplex erit potentia videndi, audiendi, olfaciendi, gustandi, tangendi, in uno oculo, naso &c. Unde non mirum, quod Calviniani, vel qui hanc sententiam de vitæ productione in corpore propugnant, sint acutiores & in errando subtiliores, felicioresq; quàm alii, cum illi præ cæteris, quinque tantum externos sensus habentibus, decem contrâ alant; nam duplicatâ re, duplicantur effectus, ut notum est. Cadit insuper opinio philosophorum hæctenus tam tenaciter alta, de numero sensuum externorum organicorum quinquenario; nam & decem dari experientia in Calvinianis docet. Sunt præterea illi ipsi vivaciores propter duplicem potentiam generandi spiritus vitalis in uno corde; itidem robustiores, propter duplicem potentiam ambulandi resistendique in uno pede; nec tam sæpe conqueri habebunt, de vitioso stomacho, cum ille duplicem habeat potentiam concoquendi. 4. Operationes vitales esse totius compositi, ipsi fatentur adversarii; quomodo ergò corpori singulares attribuentur operationes? quomodo corporis vitam ab animæ distinguunt vitali operatione? 5. Tim- plerus l. 1. Empsychol. 2. problem. probl. 4. improbat hanc vitæ distinctionem, in eam quæ animæ est, & quæ est corporis.

44. Sic ergò concludo: Si vita non est corporis *aut* *aut*, neque ab animâ in corpore producta; sequitur infal-



infallibiliter tertium, cum corpus vivat realiter, vitam ab animâ tanquam subjecto inhæſionis fluentem communicari ipsi corpori *κατὰ συνδύασιν*, scil. mediante intimâ *ἄσχωρήσει*, ut *δευτέρῳ ὑποκειμένῳ*, ad communem possessionem, usurpationem, & denominationem. Quod abundanter verbis Cl. Dn. D. Jac. Martini sic confirmamus. Ut anima reddit corpus animatum, ita etiam reddit vivum; at anima reddit corpus animatum, non effectivè, sed formaliter, hoc est, ut suam Essentiam corpori communicet: Ergò etiam hoc modo corpus facit vivum, hoc est, ita ut suam vitam corpori communicet: & per consequens vivit corpus per vitam animæ propriam: & quia vita animæ, & ipsa anima idem sunt, iterum sequitur, quod vita corporis sit ipsa anima.

45. Jam ad alterum Exemplum brevissimè 1. convenit inter nos, & adversarios ignem & ferrum esse specie diversa subjecta 2. nec inficiantur illi proprium ignis esse urere, respectu ferri, quod per se non urit, sed potius, teste sensu, frigidæ est naturæ, (quavis Keckermannum negare quod ignis proprium sit summus calor Gymn. Log. l. 2. c. 7. p. 199. rat. 4. & affirmare ib. p. 200. rat. 5. adeoq; sibi egregiè contradicere demonstrat Cl. Dn. D. Martini c. 15.) Neque tantæ sunt dementiæ ut negent ignis proprium esse lucere, ferri contra opacum esse.

46. Etiam nos 3. non negamus in ferro ignem esse, è quo ut corpus mixtum constat. Sed illum ipsum ignem, æquè ac ignem, quem in ferro frigidissimo per quoddam naturæ miraculum latere putabant veteres: Lacta. de irâ DEI cap. 1. Basil. Hom. 1.  
in



17

in Hexam. per adauktionem ferrum splendentem  
facere ac urentem, simpliciter negamus. Contra  
(quod Calviniani negant) ignem externum, vi con-  
junctionis arctissimæ & ἐνώσεως καὶ ἀχωρήσεως profun-  
dæ, ut unitorum nobilior, ferro unito ignobiliore ca-  
lorem & vim urendi, itidemque splendorem realiter  
communicare statuimus: adeoq; vim urendi, (non  
tantum actionem) πρώτως quidem esse & manere in  
igne ut proprium κατὰ ἑαυτὸν; δευτέρως autem in ferro, a-  
liàs naturâ ab ignis proprietatibus alieno.

47. Id quod sic probamus. Quodcunque verè  
est ignitum, illud propter ignitionem hanc verè est  
effectum calidum (quod antea non fuit) & splendi-  
dum (cum prius fuerit opacum & nigrum) Nam da-  
to subjecto dantur proprietates; ut ipsi Calviniani  
plus justo defendunt; atqui ferrum igni unitum ve-  
rè est & dicitur ignitum: E- verè ferrum est effectum  
splendidum & calidum, ita, ut proprietates illæ ignis  
de eo prædicentur, ab eo possideantur & usurpentur.  
Si enim ferrum ureret per se & splendesceret, omni-  
id ferro competeret, nec contrarium naturaliter de  
eo prædicaretur.

48. At quid multis? res tam clara est, ut clarior  
reddi nequeat, nisi per adversæ sententiæ refutatio-  
nem, quam, cum pagellis hisce includere nec animus  
sit, nec angustia earundem patiatur, in ipso disputa-  
tionis actu discutiendam, si DEUS voluerit, sume-  
mus.

49. Unicum duntaxat observetur, quod objici-  
entibus illis est opponendum; quando nimirum ob-  
blaterant; Si proprietates communicantur, tunc o-

D

mnes




21  
mnes communicari necesse est: Quod, quicquid reci-  
pitur per modum recipientis recipiatur. Nam se-  
cunda actio, præter id quod primam præsupponit, et-  
iam subjecti ad patiendum aptitudinem requirit. Sic  
v. g. Ferrum ignitum calidum quidem fit & splendi-  
dum, cum aptum sit ad hæc proprietates recipien-  
das; verum non inde statim fit levius, ita ut cum igne  
ascendat. Nimirum gravitas quæ est in ferro nimium  
resistit, ferrumq; ineptum facit ad talem ignis pro-  
prietatem recipiendum. Vid. Phys. Magnifici Dni.  
Sennerti. l. 3. c. 2. p. 253.

210 50. Tantum est. Nos ita argumentando, cum DEO,  
concludimus. Sit tam manifestum est naturæ axioma:  
Propria non possunt communicari diversis subjectis;  
quam illud; Bis quatuor sunt octo. Sequitur poste-  
rius non semper esse verum, adeoq; bis quatuor plus  
vel minus inferre quam octo; siquidem ly tam &  
quam faciunt convertibiles propositiones, quarum  
eadem est ratio. Atqui posterius falsum esse quis  
non videt? (contrà propria aliquando communica-  
ri, est verum, idoneisq; demonstratum  
Exemplis.) Ergò & prius: Quod est  
Keckermannianum.

**SOLI DEO GLORIA.**





17

AD

*Præstantissimum & literatissimum*

DN. THEODORUM SCHAM-  
BACHIUM,

*De*

Communicatione Proprii  
disputantem.

*Amicum, Sympatriotam, & Contubernalem meum  
singulariter dilectum.*

**A**Rdua de Christo est, quæ controversia nobis  
Cum Calvinisequis sæpe agitanda venit.  
Scilicet Humanam divina idiomata Christi  
Illi Naturam participare negant.

Atq; hac imprimis niti ratione videntur,  
Quod tribui binis Propria nulla queant.

Quod tamen, ut falsum est, & confutatur ab ipsis  
Naturæ exemplis, Philosophisq; bonis;

Sic ex Naturæ libro, scriptisq; Sophorum

A te prostratum, suaviter amice, jacet.

Hac vice sufficit hoc. Ex sacro codice quondam

Cum monstrâris idem, victor abire potes.

*Daniel Tesmarus*

*Sed. Pom.*

D 2

Ad





*Ad Florentissimum*

DN. THEODORUM SCHAMBACHIUM  
Publicè disputantem.

Πυρόεις νόθος μὴ ἔσπεται νωθρῶ βίῳ  
Ἄνεμφάτωτε, ἀλλὰ αἰεὶ τημελής  
Κατὰ ἀρετὴν σελασφόρον καὶ αἴθριον  
Κλέσματούει· Κεῖνο πατριῶ πέδ' εἶ  
ΘΕΟΔΩΡΕ σίλβη, καὶ ἑταίρων κόιρανε  
Ποιεῖς, Ἀθήνη σοὶ πεδάρσιον κέαρ  
Ἐδωκε ἑμάτην, νόθος γὰρ δαίδαλός  
Ἀγαθὴν φύην ἐλάυνει, ἤδη πράγματι  
Φερέμενα ἐν χαλεπῶ τὸ δεῖγμα εὐφραδές  
Σοφόντε, εἶνεκεν πονεῖς τέττε καλήν  
Φήμην ἀεξήσει παλαιὸν Λεύκορις  
Κεφαλήντε διαδήσει Φαινή ταινία.

Joachimus Hagmeierus.





05 A 1462

ULB Halle

3

003 777 936




1077











Σὺν Θεῷ:  
DISPUTATIO PHILOSOPHICA,  
DE  
**Communicatione**

Proprii:

*Quam*

SUB PRÆSIDIO

*Plurimum Reverendi, Clarissimi, & Excellentissimi  
Viri,*

**Dni. JOHANNIS SCHARFII**


SS. Th. Licenciati, Logices & Metaph. in almâ  
Witteb.P.P. nec non Spectabilis p.t. Philos.Facult. DECANI;  
Præceptoris sui & Promotoris æternum venerandi,

*Publicæ disquisitioni subjicit*

**THEODORUS Schambach / Stet. Pom.**

*Ad diem 24. Martii, Anno 1636.*

*in auditorio Majore.*



WITTEBERGÆ,

Typis JOBI WILHELMI FINCELII,

459

